FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ANTIDOTARII CASTRENSIS || particula prima || INVICTISSIMO || AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC Dn.|| D. RVDOLPHO II. ... ||

Göbel, Severin
Göbel, Severin

Halle, 1595

VD16 G 2448

Vorwort

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149297

Visual Library

POTENTISSIME & INVICTISsime Imperator, domine Clementissime cum salus Imperij Romani non tantum ad summi ordinis Serenissimos Illustrissimosq; Dominos Reges ac Principes spectet vt ferocissimus Turca, cuius crudelitas semper fuit insatiabilis, arrecatur ab imperij Rom: finibus, sed ad infimæ etiam conditionis homines, vt votis ardentibus suppleant id, quod nec armis nec re nūmaria præstare ex voto queunt: tum ad me meamq; vocationem spectare rebar, si cogitarem ingruente aliqua apud tantum exercitum (præsertim si inter hybernia alicubi consistendum & castramentandum esset) Epidemia aliqua pestilentiali aut lue non dissimili contagiosa, quomodo eiusmodi mali seminaria opprimi vel declinari mature per gratiam Dei possint: quali etiam apparatu medicamentorum opus esset; pro diuersa epidemiæ specie, cuius differentias, in tractatulo adiuncto de coniecturis ideo proposui, vt doctiores ad conferenda consilia cogitarent, quomodo Medicinæ facile parabiles, non sumptuosæ, salutares tamen pro conditione morborum grassantium, locorum & temporis tempestiue præ manibus esse possint: tametsi autem hoc studium ad castrenses Medicos potissimum spectet, quibus hoc meum immaturum adhuc rudimentum particulæ primæ Antidotarij castrensis satisfacere nondum possit, attamen sub diuina gratia adhuc mille conditiones præseruandi & saluandi recondiræ latent, quæ distribuit Deus ijs, quibus & quando vult, & sæpe autoritate minimis: Nam adhuc de stercore erigit pauperem & collocat eum cum Principibus &c.

Non autem Pharmaciæ tantum apparatus ad Medicum spectat, Sed diætetices etiam & alimentorum & potionum

pro diuersitate rerum corrigendi modus: Ideo prophylactica inter Medicinæ partes semper maximi fuit habita, fortassis etiam ob annonæ caritatem auertendam consilia medica se extendere aliquo modo per gratiam Dei possunt, si modo ad aliquam temperantiam milites per Archiatros castrenses reuocari se patiantur: in continuando bello contra tantum hostem: alia enim autumno, alia hyeme, vere & æstate itē alia competunt. quod si vero ji ego eiusmodi curis postpositis vel neglectis ad aliena a vocationis studia transirem, merito ineptus & delirus habendus essem cum ad studia militaria natus non sim: vt si proponere vellem stratagemata militaria, quomodo in obsidionibus cuniculi substruendi (quarum meminit Guiccardinus) vel quomodo hostium aquæ venenis inficiendæ sint, de quibus meminit Frontinus lib. 3. capi. 7 & lib. 4. cap. 1. Fulgosus nifallor libro. 7. cap. 4. Item quomodo muri deijciendi sint, de quibus AEmilius libro 4. & alij, taceo plures. Hæc alios decent.

Medicorum enim proprium est, sanare, conseruare sanitatis remedia colligere ac liberaliter communicare, & imprimis ad impetrandam benedictionem a Deo indesinenter orare. De istis enim offitijs asserit Tertullianus in apologetico: precationes Christianorum inquit pro Imperatoribus non fuisse inanes Battologias sed complexas esse res petendas vniuerso Imperio vtiles, præcamur enim ait, Imperatoribus vitam, prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, Orbem quietum &c. Et hæc non minus in Borussia quam in Germania fiunt: Nam Marchionibus Brandeburgicæ domus hoc perpetuæ curæ fuit: Huius nostri Ducis Borussiæ Georgij Friderici, Domino parentis Georgio piæ memoriæ cum apud D. Ladislaum Regem

Vngariæ

Vngariæ primas teneret cui filius Ludouicus vnice a Parente ante obitum commendatus fuerat, enixo incubuisse & cohortatum fuisse Hungariæ proceres scriptum legimus ne cunctarentur conscribere exercitum quod in mora esset periculũ. At ipse tandem a rege Ludouico in Germaniam ad copias contra Turcam colligendas missus fuit, sed cum exercitum tam cito promouere in Hungariam non posset, Turca opinione citius (ante 67. minus Annos) incredibili celeritate atq; potentia sese effudit in Vngaros hosq; cum laudatissimo Rege Ludouico oppressit: parum absuit quin D. Mariam Reginam ex Austriaca prosapia natam captiuam abduxisset nisi per D. Marchio: Georgiũ celerrima expeditione e Turcarum faucibus erepta fuisset; quæ captiuitas immortalem ignominiam Domui Austriacæ allatura fuisset: Paucis post annis frater ipsius D. Albertus primus Dux Borussiæ, ex subditis plurimos contra Turcas expedire cæperat: quid dicam de Marchione Brand. D. Ioachimi II. Electore magna expeditione olim in Turcam profecto: Quod vero eventus non respondet consilijs, id nostris potius peccatis in Europa imputemus, quia pœnitentiam seriam in nobis Deus expectat: Memini me Dominum Stephanum Regem Poloniæ, de eiusmodi bello deliberantem paulo ante obitum dixisse cuidam in secretis, vtroq; modo esse oppugnandum Turcam terra mariq; simul: Videbantur hoc ipsum facturi D. Veneti per quorum Ciues aliquot mille remi ex Borussia postulati fuere. ea autem res nostris incolis curæ fuit, quod sperabamus ipsos Dominos Venetos prioris fortunæ memores, qui prælio nauali Turcis superiores nostra memoria fuissent, eodem feruore contra communem Christiani nominis hostẽ progressuros fuisse, sed quia DEVS ex singulari beneficentia (qui spe

humana deficiente inuocantibus se præsto esse solet, is hanc Romanam & vltimam Monarchiam sustentat suo quo vult modo: ei gratiæ agendæ sunt, & orandus est vt suis S. Angelis in custodia habeat contra tantum hostem dimicãtes. Quod porro ad Medicos spectat licet autumnus serenior hactenus fuerit & illas notas putredinis, quas metuebamus non attigerit (quod iterum per gratiam Dei potius quam naturaliter factum fuisse statuere debemus sicut etiam tot victorias ipsi acceptas referre debemus, tamen securitas (quæ etiam in maxima felicitate perniciosa est procul cum a Medicis tum a toto exercitu remotissima esse debet: Ne crapulã & intemperantiã quæ felicitati comes esse solet annonæ caritas & morborum exercitus subsequatur. Et hosti felicitas erepta rursus in manus tradatur, sicut superiori anno factum sane cum dedecore & damno nondum reparabili meminimus.

Habemus vix quatuordecim dierum interuallo binas Ecclipses in vtroq; luminari: nonne lunæ humiditate omnia tarræ nascentia irrigantur, ac vicissim solis calore vigorantur ad perfectam maturitatem, quibus deficientibus annonæ caritas & inopia rerum famesq; subsequi solet licet præsentis anni exitus adhuc ridere ob frugam fertilitatem videatur: Sed verendum ne ingratitudo luxuria & profusio attrahat pœnas illas comedent & non saturabuntur Leuit. 26. Deat. 28 Haggæi 1. ad spiritualem famem etiam corporalis multoties sequitur.

Fame inori extremum supplicium Homer. existimas,

Αἰμῶ δ' οἰκτίσαν δανεῶν καὶ πότμον ἐπίσσειν

Dura quidem miseris, mors est mortalibus omnis,

At perijsse fame, res vna miserrima longe est.

Inunditiones præcedentes fuerunt minæ secuturæ famis nec minus requiri videtur aliquis Iosephus qualem

Deu

DEVS excitarat tempore Pharaonis, vt vniuersalis quasi Oeconomus in orbe terrarũ existeret, qui frugalitate prospiciat. Nec enim sicut supra monui, Medici partes sunt solummodo seruire & quidem per Medicinam famis sæpissime nocentem: sed etiam alimentis per agriculturam, & similia ad victum requisita studia velle prodesse: pro vt & Celsus Romanorum Medicus doctissimus recte iudicauit quare si fames aliqua subsecutura est, nonminus de peste timendum erit, quoniam longa experientia cognitum est famem præcedere pestem.

Vulgo dicitur: λιμὸς μετὰ λοιμόν vt præter Galenum in libro de Euchymia Euagrius 2. cap. 6. scribit ex victus penuria pestem exortam fuisse adijci his librum Dn. Ioachimi Strupij quẽ inscribit de anchora famis ac sitis valetudinisq; mortalium fateor etiam plurima requiri pro secunda & 3. particula Antidotarij explanandi, si Deus sua gratia affulserit interim autem reuocandi sumus imprimis omnes ad temperantiam: ac totius vitæ emendationem vt Deus opt. max. a quo pendet salus & victoria, & qui voluit hanc Romanam Monarchiam esse vltimam, largiatur quo serio militemus contra veterem in nobis Adamum, vnde omne malum scaturit, & vt victores nostræ turpitudinis noua Deo facti conspersio Regi Regum in secula gratias agamus. Amen. Datæ Halæ Saxonum 24. Septembris.

Augustissimæ S. Cæs. Majestatis seruitor subiectus: offerebat Seuerinus Gobel D. Ill. Ducum Borussiæ Medicus.

FRANCKESCHE STIFTUNGEN